

zaniam. Prooemium orditur: *Ad intellectum tabule compilate ad opus beati Thome de Aquino sciendum est quod tabula remittit primo ad summam Theologie &c.* Atque haec *Tabula* rudimentum fortasse fuit amplissimae illius, quam condidit *Petrus de Bergamo* O. P. quaeque primum typis *Balth. Azzoguidi* prodiit *Bonomiae* 1475. saepius deinceps recusa, ut habes *T. I. Scriptt. Ord.* p. 864. Monet *Quetifus* *b. l.* in *Edit. Rom.* 1570. conditorem *Tabulae Petrum* perperam dici mortuum a. 1484. pro 1482. Sed is, siquidem error est, jam in antiquioribus exemplis, puta *Venet.* 1497. legitur.

DL.

U. 291 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 227. f. per duas columnas fat bene exaratus, rubricis decoratus, et, ut praenotatur, a. 1428. Collegio Ducali additus testamento M. *Theodorici de Hamelburgk* S. T. D. qui nobis non semel memoratus eum teste *p. ult.* a *D. Jobanne Deyffenhusen* anno 1421. emerat, ita minio inscribitur: *Incipit Summa de theologia edita a fratre fratre thoma de aquino prima pars.* Et ad calcem: *Explicit liber primus summe fratris thome de aquino ordinis fratrum predicatorum Magistri in theologia.* Operis hujus notissimi *Historiam lit. criticam* habes in *Scriptoribus Ord. Praed.* T. I. p. 290. In *Edit. Opp. Thomae Rom.* 1570. f. occupat *Tomos* X. XI.

XII. Prodiit vero seorsim cura *Job. Nicolai* ejusd. *Ord. Paris.* 1663. f. cui *Editioni* comparatum praesens *Exemplar* recte habere comperi. *Initium* est: *Quia catholice ueritatis doctor non solum prouectos debet instruere &c.* et *Finis:* *talis enim partus decebat eum qui est super omnia benedictus deus in secula amen.* *Praeuus Quaestionum et Articulorum Index* capite mutilatus est.

DLI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 665
XIV. Folior. 182. f. per duas columnas luculente scriptus et coloribus distinctus aliud *Exemplar* est ejusdem *Operis* praevio *Indice* alphabetico et *Titulorum*, ad quorum calcem: *Expliciunt tituli prime partis summe fratris thome de aquino ordinis fratrum predicatorum*, et ad calcem totius: *Corpus scriptoris seruet deus omnibus horis. Explicit prima pars Summe fratris th. de aquino predicatoris. in qua continentur Distinctiones 119. questiones autem 584.*

DLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 292
Folior. 338. f. per duas columnas nitide scriptus, et rubro distinctus aliud *Exemplar* est *Partis I. Summae* theologiae *D. Thomae Aquinatis*, et ipsum integrum, nisi quod ad calcem exciderint *Indicis contentorum* *Extrema.* *Nulla* vero in toto *Codice* *Autoris* mentio.

DLIII.